



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.  
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,  
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,  
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

S. Magni Fussense monasterium, in Suevia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11261**

## CAPVT XXXV.

*Monasterium S. Isidori de Duenas, in regno Legionensi, apud Hispanos.*

**S**VNT qui putant hoc monasterium fundatum à Garzia Rege Legionensi. Ex vetustis monumentis constat illud antiquius esse temporibus dicti Regis & Alfonsi parentis ipsius, adeoque fundatum fuisse ante Maurorum in Hispaniam aduentum, qui contigit anno 714. Alfonsus VI. Rex Legionensis, hoc monasterium cum reliquis sui regni, submisit Congregationi Cluniacensi: ut tradit Prudentius Sandouallius, in fundationibus monasteriorum Benedictinorum in Hispania. Floruit autem Alfonsus VI. Era 1118. id est anno Christi 1900.

714.

1900.

## CAPVT XXXVI.

*S. Magni Fussense monasterium, in Suevia.*

**S**MAGNI FAUCENSE cœnobium, in Alpestri Suevia ad Lycum amnem, in eiusdem nominis oppido situm, diœcesis Augustanæ, dictum olim *Faucensa*, nunc mutata parum voce *Fussense*, quod intra Suevæ alpium fauces quasi lateat; id, inquam, fundatum est anno Domini 720. ad preces S. Magni, vnius ex primis Germaniæ Apostolis à potentissimo Francorum Rege Pipino; postea auctu & locupletatum à Carolo Magno Rege, & à

VVicter-

720.

VVicterpo Episcopo Augustano; dotatum ve-  
rò à Leopoldo Austriæ Marchione, & Guel-  
phone Sueorum Duce. Ita ferè Bruschius.

*Murbachium in Superiore Alsatia.*

**E**st hoc monasterium unum ex quatuor Germaniæ potentissimis, quorum Abba-  
tes singulari dignitate ceteris Abbatibus præ-  
eminent, & ut Romani Imperij Principes,  
omnibus Imperij causis interesse solent. Fun-  
datum legitur anno circiter 724. ab Eberardo  
Sueviæ & Alemanniæ Duce, petente S. Pirmi-  
nio Meldensi Episcopo, & approbante Theo-  
derico Francorum Rege. Cuius diploma haud  
abs refuerit hic adscribere.

724.

*Theodericus Rex Francorum, viris apostoli-  
cis, Patribus, Episcopis, nec non & illustribus  
viris, Ducibus, Patricijs, Comitibus, vel omnibus  
agentibus tam presentibus quam futuris, &c.  
Igitur dum venerabilis vir Pirminius gratia Dei  
Episcopus, nostris temporibus cum monachis suis  
Deo inspirante pro Euangelio Christi peregrina-  
tione suscepta, monasterium virorum in eremo  
vasta quæ Vosagus appellatur, in pago Alsacensi,  
in loco qui vocatur Villarius peregrinorum, qui  
ante appellatus est Murbach, allodio fidelis nostri  
Ebrohardi Comitis, cum ipsius adiutorio, Deo co-  
operante, conatus est construere monasterium,  
vel cœnobium sanctum ibidē instituere in hono-  
rem Dei & genitricis, D. nostri Iesu Christi, &c.*

Gun-

